

**Dissertatio medica inauguralis, de apoplexia ... / eruditorum examini
subjicit Daniel Haliday.**

Contributors

Haliday, Daniel.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat C. Stewart, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dkyuj39e>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIONES
EXAMINATAE

APOPLECTICAE

ANNUENTE

ET ASSOCIATIONE

D. GEORGH

ACADEMIAE EDINBURGHENSIS

AMPLISSIMI SENATUS

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS

Pro Gradu

PUBLICANDA IN MEDICINA

RITE ET LEGITIME

INTRODUCTIO

DANIEL

Hic, si potero, explicabo; non
ut sit et fiat quae dicere, ut
habilius coequeat arguere.

Kalendis Augusti

EDINBURGH

RECUSAT

Reverendissimi

MDCC

(8)

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
APOPLEXIA;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;
NECNON,
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DANIEL HALIDAY,
Hibernus.

Hoc, ut potero, explicabo ; nec tamen, quasi Pythius Apollo, certa
ut sint et fixa quae dixero, sed ut homunculus unus è multis, pro-
babiliora conjectura sequens.—*Cicero. Tusc. Quaest.*

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDERAT C. STEWART,
Academiae Typographus.

MDCCCXIX.

DISSERTATIO MEDICA

DE

APOPLEXIA;

DE

ANNO DOMINI MDCCLXXII
ET ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRÆCEPTI

D. GEORGI BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRÆCEPTI

EDINBURG

IMPRIMATUR ACADEMIAE EDINBURGENSIS

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO

Peto Ottoni Doctoris

RECTORIS IN MEDICINA HONORIS AC PRIVILEGII
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

AVANTURUM EXAMINI SUBIRE

DANIEL HALIDAY

Edinburgh.

Hoc in poena expresso: nec tamen, quod Testis Apollo, certa
ut sint et has quæ dicitur, sed ut hominibus tantis & multis per-
pallens conjectura respondeat—Certe. Tunc. Quam.

Kalendaris Augusti, hanc locum solitis.

EDINBURGI:

RECTORAT C. STEWART
Bibliolæ & Typographæ.

MDCCLXXII

MEMORIAE
GULIELMI HALIDAY,

FRATRIS
OPTIMI, DILECTISSIMI,
MORTE, EHEU ! IMMATURA

ABREPTI,
SACRUM.

" Multis ille bonis flebilis occidit,
" Nulli flebilior quam mihi."

MEMORIAE

GUILIELMI HALIDAY,

FRATRIS

OPTIMI DILECTISSIMI

MORTIS, ERGO IMMATURE

ASPECTU

SACRUM

"Hinc illa lachryma cadit"

"Nihil habet quod dolorem"

DISSERTATION

REPROBATA

D. DANIEL HALIDAY.

APOPLEXIA

PATRI SUO

DANIEL HALIDAY.

DANIEL HALLIDAY

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA.

NULLUS profecto scribendi amor, nec desiderium aliquid novi proferendi me ad hoc opusculum suscipiendum impulit; sed morem gerens institutis hujus almae Academiae, decrevi quaedam de Apoplexia quam brevissime potero attingere; nec enim limites opusculi talis nec tempus sinunt fusius tractare. Quum anteactis temporibus, imo ab ipso viventi Hippocrate, usque ad nostros dies, hic morbus magnum celeberrimorum in arte medendi virorum numerum occupaverat; medicinae juvenis ego de eo

disserere quid valeam, nisi omnes illi auctores sua observata reliquissent literis ac ipsi doctores hodierni illustra sua documenta mihi tradidissent.

Si perfectam uniuscujusque apoplexiae generis descriptionem suscepissem, ultra dissertationis limites essem progressus, nunc equidem mihi haud incongruum esse videbatur duas solummodo ejus series instituere, quae tamen omnes a medicis distinctas ejusdem species complectuntur. Ipsas autem secundum efficientes disponentesve causas exposui, parique modo statui Therapeiam; hortatus sum praeterea ut prophylaxin exquisite studeamus ad homines ab hoc lethali fato preservandos.

Primum merito habere locum videtur si qua commodè tradi possit definitio; quo res tractanda, quae sit intelligatur; quidam vero morbi tam sunt multiplices, aliisve tam similes, ut neque facile definiantur, nec si definiti fuerint, facile per definitionem solam intelligerentur.

Sic tamen definitur morbus, de quo nunc agimus, erudito Culleno: “ Motus voluntarii
“ fere omnes imminuti, cum sopore plus minus-

“ ve profundo, superstitute motu cordis et arteriarum.”

Scriptores varias Apoplexiae species solent distinguere : his sanguinea, * serosa, nervea solum placent ; aliis arridet distinctio in sanguineam, serosam, hydrocephalicam, atrabiliariam, traumaticam, venenatam, mentalem, catalepticam, suffocatam.

Quum vero apoplexiam hic superficialiter complector, varia ejus genera seorsim depingere nequeo, ne fine meo excedam. Tum prodromus apoplexiae nullus, nec aliqua manifesta causa ; tum ejus impetum aliquantisper praenuntiare sequentia solent : ut gravedo vel dolor capitis, aut vertigo ; aurium tinnitus ; ante oculos scintillae micantes maculaeque vario coloratae vagantes ; mox oculi unius, mox utriusque caligo ; in solitos usus difficiles motus ; vul-

* Celeb. Portal, negat apoplexiam existere vere serosam, asseritque hanc effici a sanguinea, sive morbum utrumque ab una gigni eademque causa ; at mihi haud quidem videtur ex ejus observationibus concludi posse nullam omnino dari apoplexiam mere serosam. Vide Giornale per servire alla storia della medicina di questo secolo. Tom. iv. pag. 49. Venezia, 1787.

tus demissus; palpitatio membrorum, et prae caeteris partibus labiorum, tremula locutio et veluti minus expressa, aut interruptio proferendi sermonis, sine ulla respiratione, vel oblivio mox dictorum; vultus etiam plenitudo; * egestionum difficultas; torpores et stupores; dentium deinde in somno stridor, aliquando futuram apoplexiam denotare videbantur.

Commodam censui methodum duas apoplecticorum series instituendi, quarum prima complectitur eos qui hoc morbo corripiuntur per aliquam in cerebrum pressionem, et altera qui per integram functionum cerebri abolitionem afficiuntur.

* Celius Aurelian. de Apoplexia, Lib. iii. cap. v. Lugduni, 1567.

APOPLEXIA A PRESSIONE IN CEREBRUM
ORIENS.

QUOTIESCUNQUE encephalon vis quaedam compresserit, mox aeger apoplecticus labitur. Id olim observavit Sennert. inquires, “ Si ictu
“ vel casu vehementiore calvaria deprimatur,
“ cerebrumque et inde nervorum principium
“ comprimatur apoplexia occidere potest.” Quum is morbus invasit, sequentia in aegroto apparent: imminuti sunt sensus interni exter-
nique; motus voluntarii suppressi; respiratio difficilis cum stertore; pulsus durus, molestus; singularum partium paralysis, et quidem pupillarum quae simul dilatatae sunt; tota facies inflata est saepius, et aeger frequentiore laborat vomitu; excretiones nec non secretiones seu sunt oppressae seu involuntariae fluunt; calor auge-
tur in capite, deficit contra in membris. Hi autem varii status morbi sese variis ejusdem morbi gradibus accommodant.

Multimodis diversae causae pressionem in-

ferre cerebro possunt, curatioque secundum earum diversitatem mutanda est.

1^{mo}. Occurrit aliquando ut ossa cranii graviter percussa findantur, aut festuca quaedam plane disjuncta cerebroque mediate illata, ejus substantiam laedat seu comprimant. Cerebro sic laeso sola chirurgia congruum remedium praebet, trepanationem, quae quo promptior credo eo evadit efficacior.

2^{do}. Si forte in cava superficie internae lamellae cranii pullularent exostoses, hae sensim accrescentes haud dubie compriment cerebrum, usque tandem secuta fuerit apoplexia, non minus et alii tumores in cranio queunt oriri. Duo ejusmodi observati fuerunt in foemina apoplexia correpta, ejusque cerebro post mortem denudato in substantia corticali eminentes.

Tam exostoses quam alios, quoscunque tumores, si possis, avertas congruarum quas novimus methodorum ope, id est primariam causam querens unde duxerant ortum, et si morbus veneris adsit antisiphiliticis sanandi sunt. Ex aliis vitiis si vero sint nati, res pari modo se ha-

bet, ast unquam gravissimi periculi sunt, quia maturo tempore perspicere nequeunt.

3to. Quacunque cranio illata laesione vasa sanguifera meningum facile rumpuntur, effusaque sanguine, quin possit amoveri encephalon pressionem patitur.

4to. Eodem modo ruptis quibusdam in cranio partibus, orta que suppuratione, sanies ibi copiose accumulatur, tamen resorbeatur, unde compressio cerebri evidens.

Duobus his casibus mox ut egestio quaedam in calvaria occlusa adesse videtur, non diu animadvertendum, sed extemplo materies facta trepanatione haurienda est, nec quidem expectes symptomata, quia tunc intempestiva et forsan inutilis erit operatio.

5to. Huc tandem pertinent omnia quae adaugent influxum sanguinis in caput effluvium impredientia, quo fit ut sanguine accumulato vasa dilatentur, atque encephalon secundum Hoffmann. haemorrhagia vexetur. His praesertim favet nativa corporis constitutio: ut caput magnum, collum breve, pinguedo, corporis plethora.

Rara est apoplexia apud macilentos et foeminas ;
 * familiaris autem aetatibus a quadragesimo anno
 ad sexagesimum ; † hereditariam dicunt Wep-
 fer. et ‡ Hoffmann. ; § hyeme quoque frequentius
 corripuntur hoc malo, tum dum rapidus e fri-
 gore in calorem transitus ; || constitutio epide-
 mica, calida praecipue balnea et quidem loca-
 lia, multum et continuo bibere vini, nec non
 aliis fermentatis abuti, intempestiva mensium,
 haemorrhoidum aliorumve diuturnorum fluxuum
 suppressio, assueta et neglecta venaesectio ; ¶ ni-
 mium in partu agere, colare fortiter astrictum,
 sedens prono capite scribere, tussis frequens et

* Hip. Aph. 57 Sectio 6ta. Editio Hagae Comitum 1767.

† Observationes de Apoplexia. Joh. Jacob. Wepferi.

‡ De Effect. Hereditar. Hoffmanni Opera Omnia Physico-Medica.
 Geneva 1761.

§ Hip. Aph. 23 Sectio 3tia, et Aph. 16. Sect. 3tia.

|| Proximis his duobus annis 1694-95, non solum in urbe sed per uni-
 versam fere Italiam non exigua hominum pars apoplexia periit, et adeo
 frequentes erant funesti hujus morbi casus, ut instantis mortis horrorem
 singulo fere momento viventibus incuterent. Epidemicae hujus apo-
 plexiae causa peti jure merito possit ab insueta illorum annorum aëris in-
 temperie. Opera Omnia Georgii Baglivii. Antverpiae 1715.

¶ Zuliani Commentarius de Apoplexia. Lipsiae 1790.

molesta, pectorale fibulis graviter constrictum, compressio mechanica venarum colli, polypi, vitiosa pectoris constructio, spasmi sanguinem copiosius in alias corporis regiones vergentes, scilicet affectiones hystericae, epilepsia, nymphomania, &c. abusus veneris, et diversa animi pathemata. Cel. Pinel *, hisce verbis utitur “ Un
 “ magistrat outragé au milieu de ses fonctions
 “ publiques en conçoit tant d’indignation qu’il
 “ reste immobile sans parole, et dans un veri-
 “ table état de catalepsie ; l’impression même
 “ en est si profonde, qu’il est bientôt apres
 “ frappé comme d’un coup de foudre d’une
 “ Apoplexie mortelle.”

Pathemata, quae praesertim generare solent id malum, sunt ira et profusum gaudium ; ultimum vero rarius : exemplum hujusmodi tamen apud Historicos Venetos legimus. “ Victor Pa-
 “ tritius Venetus ex patre Aloysio Diedo, ado-
 “ lescens indole ingenuus, ingenio perspicax,
 “ a patre tradebatur obses, anno 1480, Turca-

* Pinel Nosographie Philosophique. Tome Troisieme. Paris, 1818.

“ rum Imperatori in urbe Constantinopolitana,
“ Suis ipse manibus testudinem quamdam con-
“ cinnavit egregie, a qua musicos eliciens so-
“ nos, tyrannum delectavit adeo, ut ab ipso
“ libertate prius donatus, magnis subinde cu-
“ mularetur muneribus. Progressu temporis
“ data fide de reditu suo, Venetias, assentiente
“ Sultano, suos convisurus contendit. Id quod
“ pater, fratres, sorores, consanguineique vix
“ suspicati, praecupido juveni multis comitan-
“ tibus cymbis ad eum, quem portum duorum
“ castrorum vocant obviam profecti sunt. Vic-
“ tor spectaculo commotus gaudioque vocem
“ amittens repente apoplecticus inter suorum
“ complexus interiit.”

Apoplexia ex his orta variis modis sananda,
uti postea amplius dicam. Potissimum vero of-
ficii semper est causas amovere, seu venas in-
cidere ad superfluum detrahendum sanguinem.

APOPLEXIA EX INANITIONE NIMIA, SEU
INCITATIONE CEREBRI ORTA.

OMNES Apoplexiae species, de quibus hic agitur, unius ejusdemque generis esse non dubito, et quidem nerveae ut alii dicunt me quoque persuasum fere habeo omnes causas quas recensimus simili modo sensorium commune turbare, quamvis rationem qua res se habet ignoro.

Notum est, nonnullis nervorum functionibus vel inanitione abolitis vel nimia incitatione suspensis, omnes sensus extinguere et oriri Apoplexiam.

Quomodo absque omni laesione sensorium momentanea morte corripiatur?

Id ad solvendum problema tot cadaverum sectiones quot reliquae medicorum observationes nihil ostendunt; et ad explicanda haec phaenomena omnes vires frustra quisque impendet; quasdam quae singulis placebant de hac re conjecturas in medium proferam, quarum fides

sit penes auctores. Zuliani rationem hac de re reddere quaerit, an ait haec Apoplexia (nervea) ex eo gignatur, quod corpus spiritibus ut dicunt animalibus exinaniatur, an quod spasmus universi corporis majorem sanguinis copiam motuque percitam majori in cerebrum cogat, &c. Lorry quidem putat quod in violentis animi motibus fibrae sensorii communis obstringantur, rigescant et actiones impares evadant; nostro denique Culleno, viro certe apprime docto medico atque experientissimo, videtur animi pathemata fluidum nerveum motu destituere; conceptu sat facile est, simplici cranii percussione, fractura deficiente, hoc organon posse concuti auxilio vibrationum, quas haec arca ossea visceribus suis communicare necessario debet. Sic adplicato vehementiore colapho, seu mortui seu apoplectici subito prolabi videbantur. Aegri de quibus hic sermo est statim pallescunt, sana gaudent respiratione quasi graviter dormiunt; caeterum in vultu musculos contrahunt et simulant mortem, pupillae naturali magnitudine; pulsus parvi et rari, secretiones et excretiones

sicut in statu sano. Calor tandem imminutus, ad excitandam commotionem cerebri, si quid valeat electricitas longe est praestantissima.

Aliquando nostrum clima tristia damna e fulmine sanis incolis procreat, et homines et pecora attoniti intereunt a coelo tacti. Fulgura electricitatis, si mittuntur in partes ad vitam valde necessarias et eas et totum corpus depravant. Nulla quandoque in dissectis cadaveribus eorum qui vel repente vel paulo post ictum receptum apoplectici decesserant alicujus organi laesio inventa est. Qua in atmospheria vitam inchoavimus tria fluida elastica esse scimus, quorum congrua commixtio si desit nocet. Is aër atmosphericus e gas oxygenio, azotico et gas acido carbonico constat. Oxygenium id solum gas est quod ad conservandam vitam valde necessarium novimus, et idcirco ab antiquis pabulum vitae dictum. Inter se conveniunt medici, quod si gas oxygenium homo per pulmones hauriat purum, paulo post perbene se non habebit. Reliqua gas genera nisi sint oxygenio commixta lethalia, scilicet nitrogenium et carbonicum.

Tristis experientia docet aërem quoque, quem
exspiramus, vitam aliquando adimere posse :
“ Dum spirat homo,” ait celeb. Gregorius* soli-
ta sua elegantia, “ lethale sibi aliisque spirantibus
“ venenum fundit. Neque solus pulmonis halitus
“ adeo nocet : manat et ab omni cutis foramine
“ materia subtilissima venenata fortasse putres-
“ cens quae diu collecta, neque per auras dif-
“ fusa, et corpori denuo admota, aut iterum in
“ id ipsum recepta gravissimis morbis inficit.”
Horreo penitus dum lego descriptionem malo-
rum quae in carcere quodam regni Bengalensis
mense Junio an. 1756 gignebat aër non reno-
vatus vitiatusque plurimorum hominum exha-
lationibus ; eorundem malorum exitum unice
atingam. Regis jussu sub vesperam centum
quadraginta quinque viri cum una muliere in
eum carcerem una conjiciebantur, quem *Black-
hole* dictum est ; ejus area pedibus quadratis
constabat decem et octo ; cuilibet hinc detento

* *Conspectus Medicinae Theoreticae*, cap. i. Auctore Jacob. Grego-
ry. Edinburgi, 1818.

spatium erat pollicum quadratorum decem et octo. Carcer amplo muro circumscriptus duabus tantum modicis findebatur fenestellis, quae ferreis muniebantur cancellis. Reclusis mane sequenti januis, vix tres supra viginti ex centum quadraginta sex prodire semivivi.

Funestum quoque hujusmodi phaenomenon observatur in urbe Oxonii an. 1519. In ejus enim aula publica iudices postquam in reos quosdam sententiam dixerant assessoresque pene omnes derepente obiere, hinc cives eum vocarunt atri judicii diem.

E cuniculis fodinis aliisque specubus subterraneis mephitici vapores egrediuntur, qui apoplexia saepe corripunt. Gas acidum carbonicum quoque exhalat e musto et vivis carbonibus.* Totidem perniciosus est aër nonnunquam e latrinis emanans. Non solum perniciosus esse potest aër in se, sed haud raro etiam impregnatus tum odoriferis plantarum partibus, tum va-

* Historia unicuique in memoriam revocat imperatorem quem quidem cubantem invenerunt orbatum vita ab accensis carbonibus, qui ad humiditatem repellendam in ejus servabantur cubiculo. Eutropius, lib. x, p. 274.

poribus metallicis, tum aliis volatilibus incommo-
dis. Lethiferae indolis sunt omnes vapores at-
que exhalationes, quae ex mercurio, antimonio,
et aliis mineralibus prodeunt.

Quibusnam causis morbos mortesque metal-
lurgorum et aurifabrorum tribuamus? His certe
documentis nemo obluctabitur nequidem con-
veniunt odores graviter aromatici ex plantis sci-
licet, salvia, thymo, caeterisque emanantes qui sae-
pe cephalalgias efficiunt: ergo dyspnoea, phthi-
si, paralyti qui vexantur, et naturali corporis
habitu in Apoplexiam propendent ab illis odo-
riferis afficiuntur, idcircoque abstinere se de-
bent. Vapores mephiticos narcoticorum instar
in nervos immediate agere quin antea pulmoni-
bus arteriisque obfuissent: haec sententia Cul-
leni est. Multi illis vix haustis nunc Apoplexia,
nunc ipsa morte subito corripuntur.

Febres perniciosae intermittentes contagiosae-
que gignere Apoplexiam quoque valent et nulla
plerumque in cerebro eorum qui ex his Apoplec-
tici obierunt vestigia remanere observata sunt.
Sydenhamius, Tortus, et alii hoc dirum sympto-

ma viscerum hypochondriorum perturbationi bilisque corruptelae attribuunt: hanc confirmant sententiam * clarissimi viri Monro et Senac, quibus bilis praesentia tam evacuationibus quam cadaverum sectionibus se manifestavit. Tortus morbum depingens, ita pergit: Cum hujusmodi affectus incipit, aeger primo est in soporem pronus, a quo excitatus statim in somnum relabitur, paulo post fit immemor rerum immediatè antea gestarum, unde non raro matulam poscit, deinde mingere obliviscitur, atque interim dormitat; nonnunquam obloquitur, nec suos conceptus valet exprimere, et licet sui erroris sit compos, se tamen nequit corrigere aut continere; imo quandoque balbutiens, vel verba mutilat, vel unum pro alio profert, non secus ac si levi Apoplexia in linguae paralysin degenerante foret detentus: ingravescente tandem sopore, omnino jacet ac stertit naribus, neque ulla voce, ulla vi, frictione, ligatura, cucurbitularum aut vesicantium ap-

* Selle Rudimenta Pyritologiae Meth. ord. iv.

positione, imo nec igne, quandoque actuali valet excuti; et siquidem excutiatur aliquantisper, statim in eundem soporem imo profundiorē recidit; nec nisi declinante accessione incipit expergisci. Quod si una vel altera vice resipiscat, quidem sed semper paulo difficilior, aut si soporosaē affectioni adjungatur, singultus tertia ad summum vel quarta accessione, inevitabili fato succumbit.

Permultos utriusque sexus animi pathemata, et quo irritabilioribus nervis gaudent, eo quidem facilius Apoplexiā prosternere valent; non solum uti dixi de congestione sanguinem in encephalo profuse congerendo, sed et sensorium commune repente extinguendo. At mentionem hic non facio de iis, qui plethora praediti congestione potius apoplectici fiunt.

Quibus positis, exempla quaedam ad confirmandam rem recensenda puto. Ipsa laetitia qua tamen perfruimur, raro repentina morte aliquando prostraverat. Tissot mortem Diagorae ex nimio gaudio commemorat, postquam tres

gnatos vidisset corona vinciri. Boerhaavius* refert pyratum crudelissimum prae summa laetitia repente mortuum fuisse, quum filium suum vidisset redemptum quem pro perduto habuerat; alios quoque Haller † innuit obiisse repente aut libertate aut reddita sibi amata puella. Tissot Apoplexiam haud raro ex ira demonstrat oriri. Duas inter se puellas amicas de colore funiculi, quo vincienda erat vestiuncula, cujusdam parvi suarum deliciarum simulacri litigasse narrat. Litem continuo perrexere, utraque in sua re perstitit, una deinceps ex ipsis septem annorum aetate, quum exardesceret ira, et cubiculo evasura in januae limine Apoplexia corripiebatur.

Referri quoque debet ille actor ‡, a Zuliani citatus, qui vitam liquit, dum furens tragicam personam agebat. Graves animi quoque effectus aliquando Apoplexiam movent. Heli || pontifex Hebraeorum judexque, annum agens nonagesi-

* De Morb. Nerv. tom. ii, p. 222.

† Elem. Physical. Corp. Hum. lib. xvii, sect. ii.

‡ Zuliani de Apoplexia.

|| Lib. I. Regum, cap. iv.

num octavum, interiit, statim ac dolens audivit populum ab hoste profligatum, arcam testamenti abreptam, gnatum utrumque peremptum. Publius Rutilius * obiit repente, quum fratri consulatum negâssent Romani.

Ingluviosis libentius insidiatur Apoplexia, stomachus cibo potuque graviter impletus, et arcte iisdem distentus, lethalibus convulsionibus gulosum vexat, quae denique in Apoplexiam mutantur; hinc etiam medici quidam Apoplexiam gastricam istam solent dicere. Vegetabilia multa, nec non fermentatae substantiae pestiferam in sensorium commune actionem ferunt, mortalem ebrietatem parientes. Papaver somniferum, Hyosciamus niger, Datura stramonium, Conium maculatum, Atropa, Mandragora, et aliae; vinum, cerevisia, aliaque, venena plurima, et quidem Arsenicum, hunc morbum afficere valent; omnes ex his ortas mortes recensere, si vellem mihi posito de limite decederem.

* Plin. Natur. Hist. lib. vii, cap. xxxvi.

PROGNOSIS.

Ad prognosin quod attinet, periculosissimum morbum Apoplexiam esse fateor. Hoc et norunt medici omnes, scripsitque jamjam Hippocrates, * “ Solvere Apoplexiam vehementem quidem impossibile, debilem vero non facile; haec enim aliquando vitam adimit repente saepe tribus diebus, aut septem ad summum. Aetas aegri quo provector, eo etiam periculosior morbus, uti quoque innuebat Areteus. In Apoplexia quo magis offenditur respiratio, eo fortior morbus quo minus eo debilior. Illi igitur apoplectici qui sive naturali constitutione in eam propendent, sive haereditate obtinent, id moriendi genus evadere haud valent, primoque accessu nisi obeant, sequente tamen tertiove exspirabunt. Ut enim scorbutici generant scorbuticos, podagrici podagricos, et calculosi

* Aphor. xlii. sect. ii.

gignunt calculosos, ita parentes qui facile Apoplexia corripuntur idem vitium liberis tradunt.

Salutis fere inanes sunt spes apoplectico, morbo correpto nullis antegressis signis; ille vero e vita certo decedet, cui uno latere parylitico, alterum convellitur maxime, et cui pulsus sensim magnitudine crescit. Observatum est etiam, apoplecticum semper mori qui manum iterum iterumque eidem capitis parti admoveat, licet haud gravia videantur reliqua morbi symptomata. Signum plerumque mortis est quoque si deductis palpebris, pupilla valde dilatata appareat, admissaque luce nihil omnino contrahatur; ac salutem contra expectes si post venaesectionem ac alia congrua auxilia, intra viginti quatuor horas consequatur levamen cessentque symptomata. Si urina et stercora sponte elabuntur, si nebula infecti oculi, mors ipsam vitae arcem pulsat. Alia pessima signa sunt stridor dentium, spuma circa os, sudor tenuis, frigidus, pulsus inaequalis, durus, fortis; si morbus succedet epilepsiae, denique si ubi paulisper ad se redit attonitus, aliena tamen mens est.

METHODUS MEDENDI.

QUANDO quidem in hoc morbo versantur, et periculo pene sunt, seduli medici diligentiam postulant; remediaque festinanter administranda. Eadem medendi ratio multiplex quoque est et diversis circumstantiis sese accommodat; nunquam vero, uti in aliis morbis, prudenter ageres si viribus naturae confidas. Aegrotante explorato, causisque repertis, curandi rationem secundum characterem constituamus. Si compressio encephali Apoplexiam procreasset, cures ut malo remediis localibus te opponas, et quidem trepanationis ope cuncta auferenda si adsint fragmina. Quae operatio nulla habita ratione extemplo fiat sine quo inflammatio supervenit. Ubi tumores quidem cerebrum compressione vexant, hos maturo tempore amovendo, aut ut clarius dicam antequam inflammatio orta erit; aut si adsit, postquam eam solveris Apoplexiam possumus evitare.

Notamus etiam operationem, nisi praecedat symptomata morbi, inutilem evadere. Mox ut ossibus encephaloque interpositum sit quoddam extravasatum, id exhaustire quaerendum est, facta trepanatione. Quum Apoplexia a congestionem sanguinis pendeat, princeps indicatio causas amovere, sanguinemque mittere erit. Ad amovendas causas quod attinet, observemus, quod in id malum natura propenso sola prophylaxe ut ultra dicam prodesse valeat: praesente enim malo medicus ad mutandam corporis constitutionem ineptus, ipsis precocibus morbo accommodatis remediis debet uti: et praesertim venaesectione, de qua hic amplius agendum est.

Norunt omnes venaesectionem affectuum celeritate reliqua remedia excellere. Inde etiam cum strictissima prudentia sit ordinata quod jam observavit cel. Celsus, * “Sanguinis detractio vel occidit vel liberat.” Tam peccaverunt ii qui nullo modo sanguinem mittunt, quam qui semper sine discrimine id faciunt. Multi hac de re medici controversias habuere usque tandem

* Celsus de re medic. lib. 3. cap. 2. sect. 12.

inter se convenère aliqui quando venae secandae sunt et quando non secandae. Nunc equidem usque adeo temerarius non esto ut contundas venam quin prius mature animadverteres,

1mo. An aetas, vigor, et plethora aegri sanguinem exhauriendum permittat : si decrepitus vel macilento corporis habitu, neque vera plethora gauderet, noxia venaesectio erit. Innuere hic convenit corpulentiam non semper signare plethoram, cujus princeps seu lymphatica quodam liquido farcta corpulentum corpus reddit : hinc obesitas mox sanguinea mox phlegmatica dicitur.

2do. Considerando regnantis epidemiae indoles : temperaturae rapida vicissitudo, tum frigidae, venarum sectionem aliquando vetat.

3tio. Non omni tempore, nec omni climate sanguinis emissio semper prodest. Asperrima hyeme, iisque regionibus ubi frigus horrens ardenti solis calori succedit subito, cruor parce est hauriendus.

4to. Quaenam causa remota morbi est quaerendum, si vires et organorum activitatem san-

guinisque massam augens quadam potentia procreasset morbum largitur mittamus sanguinem ; parcissime vero aut prudentius nullum si contra.

5to. Animadvertendum deinde est quanta sit diathesis inflammatoria quae quo major eo largior sit venaesectio ; quo minor, eo parcior.

6to. Non omni periodo morbi congruenter emitti sanguis potest.

7mo. Morbi antecedentes si fuerint inflammatorii et assuetudo amittendi sanguinem, maxime venaesectionem suadent.

8vo. Si jam emissa fuerit sanguinis quaedam pars, sequentes stricte examinandi sunt effectus : nam si pulsus fiat plenior post recentem emissionem, renovanda est sectio, si vero debilior omitenda.

His probe ac mature discussis, absque gravi detrimento in quocunque morbo venaesectionem sive abunde facere sive negligere possumus. Quamvis illae omnes conditiones in sanandi Apoplexiam methodo aequae valeant, multa tamen ejus respectu dicenda supersint.

Tum quando Apoplexia ex sanguinis copia ortum habuerit corpus aegri, aliquantum erectum sternendum ac demum caput ejus omnino nudandum. Imo vero cl. Cullenus aegrum monet exponendum esse aëri frigido, et sine stragulis in lecto collocandum, remotis circumstantibus. Hisce peractis sanguinem mittere necesse est, non modo ad imminuendum impetum sed et quantitatem sanguinis, quae cerebrum premit. Quae autem vena in apoplecticis secanda sit, non adeo planum est; nonnulli venas frontis et narium aperiunt, alii in brachio cephalicam incidunt, aliis venarum jugularium sectionem laudare libet. Caeteri praestans auxilium arteriotomiam, arteriae temporalis afferre dicunt. Aliqui denique horum usui sectionem artificialem sinuum durae matris praeferunt, ast omnes sanguinis quantitatem diminuendi modi ad unum eundemque finem tendent. Hoc non obstante in plurimis casibus mox hic, mox ille praestantior est. Si hemiplegia affectum sit aegri dextrum latus, in sinistro non resoluta vena con-

tundenda est ; et vice versa. Cel. Walther per-
utiles esse probat sectiones venarum quae vicini-
ores sunt cerebralibus internis ; hinc scindere
suadet primo jugulares, subinde facialem, dein-
de frontalem. Extra mediatam sectionem est,
quoque alius e corpore sanguinem hauriendi mo-
dus et quidem scarificatio in alto nuchae pro-
fundius cucurbitalis operata. Hirudines tandem
possunt applicari non solum temporibus et pone
aures, verum etiam venis quae ad angulos oculo-
rum conspiciuntur. Emissio sanguinis hirudi-
num et scaricatoriorum ope facta, aliter localis
dicta, generalem subsequi semper debet. Quan-
tum sanguinis detrahendum nonnulli determina-
runt ; aliqui sex vel octo, alii usque ad viginti
sex uncias evacuandas esse statuerunt. Difficile
ego id determinatu censeo.

Verum in singulo de quo gerimus morbo
quandam determinandam sanguinis detrahendi
quantitatem esse non dubito, at eadem quanti-
tas tam varia, tam multiplex evadit quam apo-
plecticorum numerus ; et singulis vicibus ab ip-

so observante medico debet determinari, qui ad ejus expediendam salutem vocatus est. Monet etiam Areteus id conjectare difficile esse : nam ait “ si paulo plus (sanguinis) detraxeris hominem plane strangulasti si minus detraxeris “ quam causa postulat nihil magni per magnum “ auxilium contuleris, adhuc enim causa permanet.” Sed praestat minus detrahendo delinquere : nam si minus detractum esse visum sit, aliqui vero successus optimi apparuerint, iterum venam rescindere congruens fuerit. Quisque praxeos medicinae expertus cognoscit, satis sese ex aegro misisse sanguinis, dum pulsus erit rarior, debilior, dum facies magis naturalem aspectum acquireret et graviora symptomata cessabunt, quae a plethora praecipue pendent faciliore facta respiratione. Cavendum sedulo est ne apoplecticus ex imo in alterum prompte nimis transgrediatur statum, nam si *e. g.* e calido in frigidiorum promptius transgressus esset in extremum discrimen descenderet aeger. In hac medendi ratione haud pauca saepe prosunt adjuvantia.

Praecedere merentur cathartica. Jam vero massa sanguinis uti dictum est imminuta juvat, alvum laxare purgantibus per os sumptis, quae tamen levibus et iteratis dosibus porrigere debent. Idem monet cel. Cullenus ea exigua dosi adhibenda esse metuens, ne ad vomitum incitant, at ingens malum proferre posse haud liquet, nam Apoplectico cujus irritabilitas in universo corpore imminuta est, tam gravi stimulo non sunt quam sano neque nauseam facile provocant. Multo magis pernicioosa sunt emetica. Quamvis aegri aliquando aut imminente, aut saeviente morbo evomunt seu tantum ad vomitum incitantur, quo in casu quidam emetica porrigere solebant: nunquam tamen sine gravi periculo, seu absque ipso metu mortis administrari emetica posse in hujus speciei Apoplexia arbitror. Summus in arte vir Morgagni hemiplegias leves Apoplexiasque mitiores emeticorum usu desivisse observavit. Imo Morgagni mala suspicatur de vomitu Apoplectici qui lauta mensa exurgens morbo correptus fuerit. Ad clysteres quod attinet doctissi-

num Zuliani acria et valde stimulantia clysmata nociva censere. Verum contra illustris Culenus monet stimulantia sine gravi incommodo injici queunt.

Frigida saltem topica diligenter iteratis vicibus capite adplicata, congestionem impediens in encephalo Apoplexiam pro parte pellere possunt. Sanguine emisso alvo uti dicebam sufficienter laxata et restituta voce, profutura sunt quaedam remedia systema lymphaticum excitantia. Anteire solet tartratis antimonii cum potassa administratio dosibus vero tenuibus iteratisque ; deinde porrigantur flores arnicae, nuper maxime Germanicis medicis laudatae. Multa et varia de vesicatoriorum usu in Apoplexia scripsere auctores, et multimodis de ipsorum actione et medicatrici vi discussere : Vogel Apoplecticis vesicantia magis inimica quam amica esse affirmat. Eadem absolute exitialia a plurimis improbata, etiam Tissot Apoplexifera potius quam Apoplexifuga vocat. Verum distinguendus hic est status aegroti : nam si plethoricus sit aeger cantharides aggravarent malum ; si vero contra

sanarent. Vesicantia Zuliani remedium incertum aliquando imo perniciosum videntur; et ea non modo partes quibus apponuntur, sed in omnia viscera suos stimulos agere credidit. Cullenus enimvero contrariam hac de re opinionem tulerat, vesicantia repentinè capiti ipsi sive ejus proximitati tamen potius, quam inferioribus membris apponenda esse jubet. Concludamus tandem cantharides in omni Apoplexia a congestione pendente quam medici congruenter sanguineam dicunt aptissime seu capiti ipsi, seu prope illud adplicari; alii vesicantibus anteponebunt opinantur sinapismos, si Apoplexia de qua mentionem facimus solvenda sit: at illos postponendos esse probo quum eorum actio minus velox et minus prompta, nec magis efficax, unquam observata sit.

Antequam ad prophylaxin transgrediar, quaedam generalia quae ad rationem curandi Apoplexiam ex inanitione cerebri ortam attinent, praemittenda mihi videntur. Vocatus ad sideratum primo in eo evigilet medicus, ut illae res quae ipsum in Apoplexiam dejecerint, remove-

antur vel corrigantur, ut calor, frigus, aër impurus, venena, etc. Deinde situ horizontali aegrotus jaceat. Admonendum denique est, ut quam perniciosa sunt vomitoria, uti supra adnotavi, Apoplecticis congestionis causa tam efficacia ex inanitione lapsis auxilia praebent. Si sumptis quibusdam narcoticis aliisque corpori inductis venenis Apoplexia correptus fuerit, quem sanatum occurrimus, semper seu tartari stibiati, seu ipecacuanhae ope ad vomitum aeger incitandus est, substantias nocivas ad ejiciendas vel ad aegrum profundissimo sopore in quo jacet eripiendum, vesicatoria, aether et talia hujusce generis excitantia prosunt, nonnunquam iisdem aliquando etiam mittendus sanguis repente est, at illae omnes observandae sunt conditiones quas supra statuimus; si vero desint, absolute vitanda est venaesectio. Haud raro adjuvat laudanum, mox ubi spasmi doloresve vehementiores Apoplexiam procreassent. Finem tandem medelae impositurae, observare liceat, quod Apoplexia hisce remediis supra dictis persaepe non auscultat, et optima pharmaca

omnino spernit : oportet igitur hisce occasionibus alia remedia tentare, ut tandem aliquid inveniat (si inveniri possit) quod vel morbum prorsus fugat, vel saltem nonnihil levaminis aegrotis miseris offerat.

PROPHYLAXIS.

QUANTI medicorum omnium interest scire, quae hominibus inferre morbos valeant : tanti quoque ipsorum intersit qui illos ab iisdem quoad fieri potest praeservare studeant. Hinc prophylaxeos quaedam principia Apoplexiae curationi maxime conducit enumerare. Quum vero aliquem ad sanitatem conservandam vocati, ex proprio corporis habitu aut ex parentum vicio ad Apoplexiam inclinari, observemus, diligentissime animadvertendum quo modo corrigi in hunc morbum inclinatio posset. E parentibus ad id malum dispositio infans natus jam ab ineunte aetate sensim congruae educationis auxilio a venturo damno liberandus. Cavendum

praecipue ne juvenis ingenium premature seu magnopere studiis obruatur; sed mediocriter iis incumbat. In locis aëri perviis artuum motus frequenter exercent; a calore tueatur caput, membra a frigore: fugat deinde saltationum excessus, et procul absit a fornacibus valde calentibus. Si quidem ad Apoplexiam jamjam disposito de homine quodam sermo esset, frustra instans malum delere tenderemus. At aegri videndi rationem dirigendo mitigare sive retardare morbus potest. Tale periculum dum alicui imminet sibi caveat quam maxime ab omnibus quae sanguinem in caput cogere valent, scilicet, ne vinum nisi parce potet; ne horizontaliter jaceat nimis, aut lecto stratus legat, aut his similibus vacet; corpus mediocriter exerceat, nec epulis valde pinguibus illud nutriat; neque multum fumat tabaci; neque saepe et iteratis vicibus caffeam sumat. Qui vero satis abunde comedere solebant non tam mediocri diaeta utantur, quia sua jura consuetudo habet; quae diaeta quidem parcior ac tenuior gradatim fiat, non solum a cibis nimis stimulantibus verum

etiam ab meracis liquoribus abstinendum, et a somno pomeridiano aufugiendum. Curandum etiam interdum alvum laxare purgantibus et mittere sanguinem, uti suadet Wepfer. “ Sit
“ quidam valde plethoricus, scripsit, et ad Apo-
“ plexiam sanguineam dispositus: sanguinis
“ quantitas excessiva per venae sectionem certis
“ temporibus instituendam detrahi convenien-
“ ter potuit.” Cullenus ne nimio sanguine turgescat caput, fontanellas sive setacea cervici inferenda laudat.

Sunt quae observent illi qui ad Apoplexiam proclives ab ipso morbo liberare student. Si vero quisquis semel ab ea correptus fuerat, eum praemuniamus ne iterum, ut saepius contingit, in eandem recidat; quod eodem modo sicut expositum est effici debet.

FINIS.



